

TELOMONII ORNATOMONTANI
 DESCRIPTIO BELLÍ INTER HENRICOS
 JUNIOREM ET SENIOREM DVC. BRVNSV.
 ET LVNEB.

CIVITATEMQUE BRVNSVICENSEM

CIRCA ANNUM MCCCC XCII. GESTI.

Telomontanus Ludovico Nepoti suo salutem ac felicitatem dicit. Rem profecto nimis gravem meis humeris, mi amantissime Ludovice, & majori tuba dignam postulas. Quid enim magnificentius, quid gloriosius, quam bellorum magnitudinem, quam historiarum ornatum, quam eorum, qui bella gessere gloriam & famam depingere. Et quoniam multa in bellis nequanda atque horrenda sint, illustria tamen habebuntur, si Ducum excellentiam, si militum praestantiam, & praecipuam in perferendis rebus tolerantiam ac prudentiam velimus recensere. Requirit itaque res ista in describendo sententiarum pulchritudinem, clausularum varietatem, ac orationis copiam: quae sane omnia mihi longe abesse sentio. Hannibal enim Carthaginensis fortissimus Imperator, ob invidiam Carthagine pulsus, cum Ephesum ad Antiochum Syriae Regem venisset, invitatus ab hospitibus suis ad peripateticum quendam Phormionem, audiendum, haud invitus pro ejus naturae ingeniique facilitate accessisse fertur. Hunc cum audivisset eleganti loquutum oratione de Imperatoris officio, deque omni re militari: tum omnium pene audientium assensu interrogatus ipse, quid de hujusmodi sentiret oratione. Deliros, inquit, se vidisse senes multos; praeter hunc tamen Phormionem delirantem vidisse neminem. Nec mediis fidiis injuria, ut opinor. Secum enim fortassis animo cogitabat, Hannibal, se eum de re militari disserentem audire, qui nunquam hostem viderat, nunquam castra, nunquam aciem, nunquam denique, praeter artificium suum, aliquid attingerat. Hoc equidem, ne mihi in praesentiarum iudem contingat in tua sollicita expectatione, si haec mea res prodeat in apertum, nequaquam possum non vereri. Vellem autem, te magis sacrarum studio literarum, quam harum rerum deliramentis operam dare, quamquam etiam tuae postulationis rationes nectas. Inquis enim, te penitus elinguem inter tuos redere contribules, dum (ut humana sit in conversatione) de rebus belli, cujus descriptionem tam instanter flagitas, sermo incidit: cum alii principum, reliqui vero civitatum partem tueri conantur, neque scias, utri fidem praestare debeas. Id unum in hac tua causa te scire velim, quod propter nostrum vel affirmare aut negare, parum aut nihil ipsis accrescere partibus valebit dissidentibus. Veruntamen non minus me scribere, quam te postulare dedecet. Ob id morigerus tibi ero. Nihil enim negare tuae petitioni jam saepius multiplicatae possum. Parebo igitur postulationi tuae: tibi belli quod apud nos inter Principes & Duces Brunsvicenses ex una: ac ipsam Brunsvicensem civitatem parte ex altera gestum est, describam. Neque hac in re eloquentiae lenocinia metiri velis. Pedestri quidem atque inculto (& ut ita dicam insipido) tecum agam stylo. Referam autem tibi ea, quae a viris probatissimis, & qui ab initio hujusmodi belli singulis interfuerunt expeditionibus, his auribus hausi. Neque etiam sane hoc ipsum bellum, etsi diuturnum non fuerit, inter minima Germanicae nationis bella computandum reor, cum in ipso praeter exterarum nationum totius flos Saxoniae comparuerit. Iam vale, & ineptiarum, quas me scribere cogis, auditor esto, mei ac sequentis sententiae memor:

Non omnis delirus erit, cui sensus Ulixis

Deficit: aut mutus, quem nescit Musa Maronis.

Iterum vale. Ex H. (*) Anno Salutis nostrae MCCCC XCIV. Idibus Junii.

Solent, qui poeticam profitentur, furias esse tres, quas Acherontis & Noctis filias dicunt, ac a propriis nominibus Allecton, Tesiphonem & Megeram appellant, asseverare. De his Mantuanus ipse vates inter cetera:

Dicuntur geminae (inquit) pestes, cognomine dirae,
 Quas, & tartaream nox intempesta Megeram
 Uno eodemque tulit partu.

His praeterea furiis pleraque alia saltem generalia reperimus attributa vocabula. Lucanus enim ipsas Canes dicit. Apud nos vero mortales furiae aut Eumenides, non praeter rationem.

(*) Forte Hildesha. Nam Hildeshemenfes magnis ornat encomiis.

nem appellantur. Cum enim mortalium præcordia lacerent ac furere faciant, furias ipsas dicimus. Eumenides autem, quasi Deas in bono deficientes. Sed apud Superos Dirarum sibi nomen assumunt, & Diræ vocantur, quasi sint Deorum iræ, ac à sævitia majorum imminores, ad quam confestim majorum furor evolat. Ipsarum insuper proprietates hoc carmine manifestantur satis puerili:

Tres agitant mentem furia ratione carentem,
Cum mens bacchatur, tunc Alecto vocitatur,
Et cum mente fera despumat in ora Megea:
Tunc est Tesiphone, cum produnt jurgia voce.

Cæterum ipsas ajunt Jovis ac Platonis obsequio deputatas, quemadmodum hoc ipsum hæc sequentia attestantur carmina Virgiliana:

Apparent: acuantque metum mortalibus ægris
Si quando letum horrificum, morbosque Deum Rex
Molitur meritis: aut bello territat urbes.

Plutoni autem ideo obsequiosas volunt, quia divitiarum Deus appellatur, ut advertamus, perturbationes irasque crebro & jurgia ob immoderatam auri cupidinem suscitari. Quod autem Jovi assistant, nequaquam est mirandum, etsi ipsum Poëtarum scripta pium mitemque constringant. Pio enim judici opportunum est ultores scelerum habere ministros; quibus si careat aut non utatur, legum auctoritas facile dissolvetur. Et præterea aliquando ob populorum crimina divina sit permissio, ut in Elementis furor permisceatur, & eis discordantibus aer inficiatur & pestes letifera orientur, quibus miseri absorbemur. Sic & plerumque ob ipsorum superbiam populorum bella nascuntur, ex quibus incendia, populationes, excidia consequuntur. Exigentibus igitur peccatis nostris excitatus in furorem Altissimus, furias præmemoratas ingredi hominum præcordia nostri climatis (si rite clima dici poterit) permittit, quando ad annum salutis nostræ Nonagesimum secundum super Millesimum & quadringentesimum inter Illustres *Hinricum Wilhelmi filium*, quem seniore, & *Hinricum Ottonis filium*, quem juniorem appellant, Principes in Brunsvicio & Luneburgo Duces, & ex proavis aut attavis patrue generationis lineam, ab ipsis *Ottonibus* ac eorundem progenitoribus qui imperio maxima præerant gloria, & quos Annalium libri *Saxonia Duces* appellant, profuxere. Hujusmodi autem *Ducatus Saxonia* titulus, etsi hæreditario jure ad hos spectaret Principes, *Fredericus* tamen secundus, dum imperio præsidebat, ipsum progenitoribus eorum, propter quandam [ut ajunt] aut inobedientie notam, aut potius, ob odium, quod in hos concepit Principes, auferebat, & ad *Comites de Anhaltio*, qui hac nostra tempestate Duces in *Lauwenburgo* appellantur, transtulit. His tamen antehac Saxonie Principibus idem *Fredericus secundus Brunsvicensis Ducatus* titulum indidit: Deinceps autem, quadam etiam legitima successione, *Luneburgensis Ducatus* titulus ad eosdem præmemoratos est Principes devolutus. Hac ratione usque ad hanc nostram ætatem hi Principes Ducatum & in Brunsvicio & Luneburgo nomina possident. Succedente autem tempore, & fortuna temporalium vices rerum volvente, quemadmodum *Fredericus secundus* ab his, in præsentiarum Brunsviciis & Luneburgensibus Ducibus, *Saxonici Ducatus* titulum dimoverat: pari modo *Sigismundus*, dum imperii habebat regimen, ad hunc Saxonicum Ducatum (sua sponte) ob multa in eum, dum adversum Bohemos bellum ageret, beneficia collata, *Misna Marchiones* in perpetuum possidendum investivit, ac ipsum *Lauwenburgensibus* ademerat. Hoc igitur modo ipse Saxonicus Ducatus à viris submotus Principibus & heredibus legitimis, per ipsorum ignaviam ad externos Principes, qui minime Saxones sunt, est devolutus, ac ipsorum vere Saxonum claritas cum tempore defluxit. Quanta autem hi Principes, in præsentiarum Brunsvicii & ante hac Saxonici, rerum gestarum floruerint gloria, quotque ad imperium sublatis sint, annalium libri & Historie unumquemque facile edocebunt. Nequaquam tamen id tacendum duxi, hac etiam nostra tempestate, Brunsviciorum satis amplam & magnam esse Principum potestatem. Provincias namque hodie & *Brunsviciam* & *Luneburgiam*, à quibus Ducatum suorum titulos habere noscuntur, possident. Præterea terras, *Gottingsensem ac Northemensensem*, quæ olim *Comitatus* fuere, & item *Embeckensem*, quæ ad *Comitatum in Katelenburgo* annis spectabat superioribus, & hinc *Honoverensem* terram, quam & *Deyslernam* appellant, & quæ diebus præteritis *Comitatus in Lauwenrode* suberat, hi Principes præmemorati sua subiectas tenent ditioni. Cæterum quoque nec minus hodie hi Principes plurium ad ipsorum manus devolutorum gaudent *Comitatum* titulo & honore, quorum bene nomina tibi manifestabo, ut in *Tannenburgo*, in *Eversteyna*, in *Hallermont*, in *Wunstorppio*, in *Wolpia*, & una cum dominatu in *Homburgo*.

Veruntamen pleraque ad hos Principes loca, legitimo & hereditario jure spectantia, vel per alienationis vel impignorationis viam istorum manus Principum evaserent. Fuit denique tanta olim & tam spatiosa atque extensa his Dominis potentia & auctoritas, ut, quicquid temporalis inter Rhenum & Albim insignes fluvios jurisdictionisclausum fuerit, istorum auctoritate & potentia Principum gubernaretur. Sed quoniam hac nostra tempestate Principes praememorati, (etsi nesciam quo fato) bellum ingens adversus suam *Brunsviciam* moverint *civitatem*: ideo etiam, priusquam de hoc bello narratio fiat, non in congruum apparebit situm, formam, mores & splendorem hujusce describere civitatis. *Brunsvicium* igitur hodie totius Saxoniae metropolis & civitas permaxima, Germanis abunde cognita, sicuti pluribus apparet ut totius vere Saxoniae centrum: aut ei perproximum est. Per quadrum, tantum fere longitudinis quantum latitudinis habens in ambitu suo fere passuum duo millia complectitur. Aliquanto *Nuremberga* major ac *Erffordia* minor. Ad orientem dioecesim habet *Magdeburgensem*: ad meridiem vero *Hartonicum* nemus: Occiduam partem *Hildensem* dioecesis homines & *Deysterni* colunt: Septentrionem vero *Luneburgenses*. Hos quidem circumjacentes fines hodie omnes Saxoniam appellant. Etsi etiam latus extendisse suos terminos Saxoniam feratur, horum tamen externorum plerique finium olim magis Slavis quam Saxonibus fuere deputati. Sed cum *Saxonicam linguam* multum auxerit natura caeli frigida & foecunda hominum alitrix: tamen maxime ampliavit ipsam potentia Principum, qui saepe innumerabilibus septi populis, alienas terras, pulsus veteribus habitatoribus, coluerunt. Existimo quidem Theutonicum sermonem solos in *Angliam Saxones* transtulisse, quos eam invasisse insulam, diuque possedisse non est ambiguum. Germanos etiam saepe exisse suos fines ad exterarum nationes, ibique opida plurima sui moris ac sermonis condidisse, nonnulla vero in suam linguam vertisse constat. Principium autem *Brunsvicia* civitas hoc fertur habuisse modo. Illustris Princeps ac Dominus *Saxoniae Dux Ludolfus*, secundo gradu a *Wedekindo primo Saxoniae duce*, cujus *Wedekindi* sepultura hodie in *Engaria* *Westphaliae*, haud longe ab *Herffordia* se hominum visui offert, tres post se reliquit praeter natas filios: *Ottone*m, qui conjugem duxit, *Danckwordum* & *Brunonem*, qui in caelibatu sine conjugibus permanserunt. Hi igitur fratres duo posteriores ad Annum post Christum natum sexagesimum primum super octingentesimum, regnante *Lodovico* secundo, dum bina hoc in loco, ubi nunc *Brunsvicium* suum habet situm, castella collocassent, brevi profecto tempore tanta hominum frequentia hunc coepit locum incolere, ita ut temporis cursu in magnam populosamque coaluerit civitatem. *Brunsvicium* igitur quasi *Brunonis vicus*, ab altero fratrum, civitas est appellata. Hanc urbem perlabitur *Onacra* fluvius, cui origo *Hartonica sylvae*, duasque in partes civitatem scindit: omnem immundiciam secum trahens, variis undique pontibus coopertus. Animarum vero cura unius portionis ejus civitatis *Halberstaden*si; alterius autem *Hildensem*si *Episcopis*, secundum directam fluminis intersectionem demandata est: Totaque urbs in plano sedet, moenibus ac fossato duplici profundissimo, & aliquot in locis triplici, ac quolibet aquis stagnante munita. Vallum etiam inter fossata crassissimum per circuitum ductum, variis arborum consitum generibus fuit, in quibus plurimae aves, quae quasi perpetuo vere servato dulcissime modulabantur. Turres quoque & propugnacula excellunt: hinc atque inde perpolitae plateae: familiarum magnificae & ornatissimae domus, hominum coetibus semper frequentia compita. Inter alia vero urbis aedificia augustiori quadam amplitudine praesant, ipsa magna DEI templa, ac delubra sanctorum, quae non minus ditia quam ornata relucent. Domus autem sacrae tali a suis quaeque tribus pietate coluntur, tali religione observantur, ut incertum sit, magis laudandum an mirandum fuerit. Habent & ipsae matronae ligneas in templis cellulas, a se invicem distinctas, quibus divina prospectant. Civium tamen aedes non superbae atque elatae nimium videntur. Intus vero praecleara insunt cubicula & ditissima supellex habetur. Et quia longissimas rigidissimasque hiemes vicini septentriones faciunt, remedium quoque contra naturam usus adinvenit. Aulas enim more thermarum singulae domus habent, quas *stugas* aut *aestuaria* dicunt. Et ne servatus calor effugiat, fenestras vitreas apponunt. Ibi cenant, ibi nonnulli artes suas excolunt, ibi etiam magna pars dormit. Platearum solum duri filicis, quadrigarum rotis inviolabile: humanis tamen pedibus & noxium & asperum. Putei plures etsi in hac urbe sint: aquae tamen ipsorum ad potandum minus sanae reputantur. Cerevisiam, quam (*) *Mamam* aut *Mocam* ridicule appellant, pro potu, ac quodam atri saporis acido, quod *Coventum* vocant, homines hujus loci utuntur. Vini usus apud ipsos, quia carior est, eoque rarior habetur. Fructus hic omnes absunt, quibus est nocivum frigus. Victus autem sive quod solo suo plura nascuntur frumenta, sive, quod vicinae urbes facillime subministrant, ubertim abundat, semperque cerealia & potus munera aequo pretio vendunt. Quinque hic fora, quinque praetoria, & totidem magistratus, quos consulates dicunt. Est autem haec civitas in quinque partes aut regiones, ut *veterem*, *novam*, *indaginem*, *wicum* & *saccum*, quae portio ultima recte medium tenet, divisa ac segregata. Quamobrem neque praeter rationem a plerisque *pentapolis*, quasi ex quinque civitatibus integrata, vocatur.

Cives

(*) *Mumms* vocatur.

Cives autem prætaxatis quibusdam vivunt legibus, ut liberi magis, quam subditi videantur. Neque enim tyrannidem sibi vindicant, neque dominandi cupidine excæcantur. Et, si libertas est unicuique, vivere ut velit, hi vere liberi sunt, æqualique jure vivunt. Popularis hæc gubernatio est, & ita inter se munera fortiuntur, ut raro unquam quærelæ aut discidio locus relinquatur. Veruntamen superioribus quinque annis, quemadmodum etiam proximis factum est, seditiosi quidam, hujus civitatis regimen in aliam formam, tamen suo frustrati proposito, traducere conabantur; quorum tamen aliqui proscripti, quidam vero sua sponte salutem sibi fuga quæsiere. Summa tamen regiminis apud magistros civium est, qui ex ordine in magistratu juxta senium creantur. Habent hic singulæ artes mechanicæ societates, quas Monipolas aut Gildas appellant, quibus singuli magistri præstant. Capitalia negotia per advocatum & assessores & magistratum transiguntur. Idem est in omni causa sanguinis. Is ipse advocatus jus populo dicit, aut ad magistratum remittit: nec tamen statuti aut consuetudinis normam egredi potest. Perunt nulli ex publico sumptus: sua cuique domui ex privato est vita. Consuetudine magis & jure Saxonico utuntur: in iudicio rigidi severique. Reum neque pecunia neque preces juvant: nulli tanta potentia, ut impune delinquat. Relegatis ab urbe nulla spes reditus. Cum opportunum fuerit adversum hostes progredi, ad decem millia armatorum educere possunt, relictis nihilominus pro suæ civitatis custodia civibus, numero abundanti & copioso. *Nulla hic studia gentiliū literarum: poeticam oratoriamque prorsus ignorant: grammatica duntaxat ac dialectica operam adhibent.* Confluunt huc ex vicinioribus opidis adolescentes, quibus ex Eleemosyna victus est. Magister vero, qui ipsis præest, modicam ab auditoribus collectam recipit, ex publico nihil. Vestitus tam viris quam fœminis frugi nullius. Brumæ tantus rigor, ut laneum aliquid intra calceos fumant: *præcipue fœminis circa pedes atque mamillas cura, & quam illos parvos & effaciles, tam istas grandes & tumidas ostentare laborant.* Locupletiores ex annuis provenibus & redditibus, quos ex prædiis ac possessionibus in rure undequaue nanciscuntur, vitam agunt. Has inquam possessiones & prædia à Principibus & nobilibus plurima cœmerunt pecunia, & ita fere majorem sui Brunsvicii territorii possessionum partem sub se habent, possident & sibi conquiescunt. Reliqui vero cives negotiationibus, artibus aut manibus suis sibi victum quarunt. Forma hominum mediocris: Mores uti mortalium varii. Nulla apud ipsos interpretatio juramenti: quod promissum est, sine exceptione custodiunt. Nec aliena rapiunt, nec sua effundunt, præsentique fortuna contenti; ita ut viri boni esse quam videri malint. Cæterum hoc nequaquam prætereundum. Hujus enim urbis cives quolibet septimo anno vicissim revoluto, pro suæ civitatis gloria ac splendore, præter ceteros aliorum ludos annorum, sanctis currentibus diebus Pentecostes quoddam magna jucunditate agunt spectaculum, quos *Gralum* appellant. Et hoc quidem in loco graminoso extra civitatem, ad urbis mœnia contiguo & arboribus confito. Hic denique spectaculi ludus, tamen totius sit civitatis, ipsius tamen & ordinationi atque directioni præcipue cives ipsi, qui eam civitatis portionem, quam *induginem* vocant, incolant, præesse feruntur. Ad hoc, inquam, spectaculum per hujus urbis magistratum Brunsvicii Principes, nobiles, militares, & præter hos civitates invitantur viciniore. Quamobrem tum ex urbibus ac rure circumposito, magnus & cleri ac laicorum utriusque sexus, quemadmodum ad Olympicos ludos tota Græcia, dum celebrarentur, confluit numerus. Videre posses sane hoc in Gralo, hinc ad sonum tympanorum, fistularum, buccinarum & aliorum musicalium instrumentorum per juventutem hujus civitatis utriusque sexus plurimas atque diversas duci choreas; hinc vero cerne re posses varia vicissim suis in locis erecta tentoria, in quibus singulis juxta suum ordinem binæ & binæ mulieres ex locupletioribus urbis, decenter ornatae, resident, tabulas singulas & planas ante se cum aliquot taxillis habentes. Tum, quicumque ex viris vel mulieribus, quamcunque rem (possibilem haberi aut acquiri) concupierit, si libeat ad aliquas binas ex his Dominabus memoratis, sic ut præfertur sub tentoriis collocatis, accedere, poterit pro re cupita, prius tamen expressa ac in ejus valore æstimata, tribus mediantibus taxillis ludere, ita tamen etiam, ut quilibet talorum jactus, juxta rei cupitæ æstimationem, sit taxatus. Quam cito itaque lusor *Ruschum* æquale, quod est, quando omnes tres decii æqualem oculorum numerum reportant, ex fortuna projecit, mox rem cupitam lucrabitur. Sin vero quotiens æquale *Ruschum* ex jactu non sortitus fuerit, ad pœnam jactus toriens præter indulgentiam est lusor obligatus. Hinc juxta fortunæ cursum plurima contingunt lucra: e contrario etiam multæ fiunt deperditiones. Contingit hic plerumque rem cupitam, cum in urbe Brunsvicia haberi non possit, & lucro quæsitæ est, per multa terrarum spatia opportunam afferri. Præterea propter res etiam lucro quæsitæ atque confestim solvendas, hoc in Gralo ex alia parte planicie, magna adest cum suis mercibus mercatorum multitudo. Tandem hac durante Grali solennitate, Principes, nobiles ceterique ad ipsum vocati & invitati, conviviis splendidissime ad hoc apparatus & instructis, per munera Bacchi & Cereris ac aliorum, humano victui commodissimis, maxima cum hilaritate honorantur. Postremo autem habet hæc civitas apud se præter ceteras corporis *divi Auctoris sanctas reliquias* in locello, non minus ornate quam ditissime ex auro argentoque & gemmis preciosissimis fabre factæ re-

conditas. Hunc suam civitas ipsa divum patronum multa devotione colit, veneratur & honorat. Ipsius, inquam, sancti Auctoris & Confessoris & Episcopi sanctissimas reliquias, summa quotannis veneratione hujus loci cives suae civitati circumferunt. Inde alio quodam in annos die, juxta suae civitatis numerum quinque partium, etiam totidem candelis, pondere cereo non minus gravibus quam splendidis, istum suum patronum cum solennitate maxima munerant & venerantur. Fuit autem *divus* iste *Auctor*, dum vixit, *Treverensis ecclesiae Antistes*, cujus sacras reliquias *Gertrudis*, tum *Brunsvicensis Princeps & domina*, circiter annum *domini tertium decimum super millesimum & centesimum*, *Hinrico quinto*, quem alii quartum dicunt, Romanum gubernante imperium, à civitate avectas *Treverorum*, *Brunsvicio innoxie & introduxit*. Hæc, inquam, civitas jam multos dominata per annos (nam alias quidem de liga civitates, quam *hensam* appellant, facile in suam sententiam semper traxit, & quo voluit, impellebat etiam plerumque (ut fit) inter sese quinque dissidentibus de principatu dominis, quibus volebat, dominium contulit, aliis rejectis atque fugatis) nescio quo bellum his senserit diebus proximis (ut præmonstratum est) auspicio. Sunt, qui dicant, hujuscemodi belli & fomitem & originem ex controversia & discidio feodalium quorundam bonorum atque jurium, & locorum aliquot, quæ quidem singula, Domini & Duces præmemorati ad se & ad sua dominia pertinere ex jure referunt, surgere & emanare. Contra vero Brunsvicia civitas horum aliquot bonorum, quæ Domini & Principes, ut præfertur, impetunt, se pro magnis pecuniarum summis pignoris loco: reliqua autem justo venditionis titulo, ab ipsorum prædecessoribus Principibus & Dominis empta & firmissimis literarum munimentis roborata, etiam temporis præscriptione sibi auxiliante, se possidere respondet. Principes autem tum ex adverso replicant, nequaquam Brunsvicios hac sibi satis facere posse responsione, cum sui progenitores hæc ipsa bona, nullo tum jure tum auctoritate, vel vendere vel alienare potuerint. Insuper ipsi adjiciunt Principes etiam, cum ipsa bona foedalia sint, civitatem ipsam Brunsviciam nunquam vel à divis Imperatoribus, vel Brunsviciis Ducibus suis progenitoribus, quemadmodum in foedalibus cautum est, esse investitam. Super hac rerum controversia diversi tractatus diversaque placita utrinque sunt habita, quibus profus nihil conclusum est, partibus utrisque semper suis in sententiis permanentibus. Tandem Principes ipsi jus cognoscendi causam pro sua parte ad Illustres Principes & Dominos, Dominum *Johannem Marchionem Brandeburgensem*, *Romani Imperii Electorem*, ac Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum *Ernestum*, *Magdeburgensis Ecclesiae Archiepiscopum*, *Germaniae primatem*, ac *Halberstadenis Ecclesiae Administratorem*, *Saxonia Ducem &c.* statuunt, ipsosque, Brunsviciis audientibus civibus, qui in his aderant tractatibus, tanquam arbitros sibi eligunt. Ex alia quidem parte *civitas Brunsvicia*, memoratos jam Principes & Dominos per Duces electos, ob consanguinitatis proximitatem tanquam suspectos metuens, jus suum in Reverendum in Christo Patrem & Dominum, Dominum *Bertoldum Hildensemensis Ecclesiae Episcopum* ac *Ecclesiae Verdensis Administratorem*, & *civitates de Hensa* appellatas, tanquam suos arbitros, referebat. Sic iterum his in tractatibus ac placitis re infecta nihil actum est, nisi quod placitorum terminus postremus usque ad solennitatem nativitatis *divæ Virginis Mariæ* proximam fuit prorogatus, ac interim infidix nihilominus parate fuerunt. Interea etiam *Dux Hinricus*, quem *Seniorem* appellant, Princeps magni & vasti animi, & ad omne facinus audax: multo etiam loquendi lepore à natura præditus, quietis impatiens, nimium bellandi desiderio animosus, multa auxilia Principum & Dominorum, qui aut consanguinitate vel affinitate ipsi conjuncti fuerant, ceterorumque nobilium ac militum sibi conquirat: quosdam denique etiam ex his propria accedens in persona; ipsisque justis causam belli se adversum Brunsviciam habere civitatem exponens, postulat, rogat & monet, ut secum una in brachio potenti, præmemoratam contra civitatem aggredi velint, & si opportunum fuerit, ipsam secum obsidione cingere. Principes itaque, super hac Ducis *Hinrici* petitione deliberationibus & consiliis habitis, unanimi consensu, in omnibus suis facultatibus, imo & aliquot ipsorum, propriis in personis ac suorum comitiva militum, prompto se corde offerunt atque ad hoc bellum venire promittunt. Dum autem hæc agerentur, Brunsvicii cives multa, diversis ex locis hinc inde, avisamenta super bello adversum ipsos parando recipiunt. Verum ipsi hæc parum advertentes; nequaquam enim memoratos duos Principes & Dominos ad hujuscemodi belli molem, aut in potentatu aut in divitiis tam habundantes existimant: neque ipsorum mentibus tantam insidere audaciam, ne dicam temeritatem, ut huic suae civitati bellum moveant. Nihilominus tamen, ne penitus his in rebus negligentes ipsi videantur, aliquot suis commeatum castellis inferunt, ac in ipsis præsidia collocant. Verum in his, quæ ad humanum victum ac ad bellicam opportuna sunt necessitatem, suae civitati minime provident: rati, ipsam suam civitatem per ipsos Principes nullo modo posse cingi obsidione, forsitan hujus memores sententiae:

Non ferit assidue telum, quocunque minatur,
Non semper medicus sanat, non ipse perorat

Rhe-

Rhetor: non Logicus ad metas pervenit; immo
Sæpe jacens calle medio defessus anhelat.

Post hac tamen etiam, solennitate Assumptionis Virginis intemeratæ Mariæ approximante, Brunsvicii cives ad cautelam, & equites & pedites, mercenarios milites suscipiunt, futurum rei eventum expectantes. Dux autem *Hinricus Senior*, ubi potentum auxilia Principum plurimorum, multorumque aliorum sibi suffragia adesse intelligit, ratus tempus opportunum, quia civitas ipsa sibi in rebus necessariis minime providerat, quod exploratum habuit; etiam quia edoctus [ut ferunt] ab his, qui haud longe ante hac ob seditionem quandam à civitate ipsa relegati fuerant, civitatis ærarium aliquanto exhaustum, manus ad arma vertebant. Hinc horrenda belli semina oriuntur. Litteræ igitur diffidatoriae circiter festum divi Bartholomæi Apostoli, priusquam terminus, placitis in novissimis statutus, adventaret, ambobus à Principibus præmemorantis Brunsviciæ mittuntur civitati, quibus Principes ipsi Brunsvicios cives publicos declarant hostes ac denuntiant, stratam etiam publicam eisdem occludunt, omnium facultatem victualium ipsis auferentes. Præterea omnem vim frumenti in rure, quæ non modica est, omnesque redditus & proventus civium intercipiunt, villicosque ipsorum, ut omnia & singula, quæ civium sunt, ad se traducant, compellunt. Quid tum vero faciat Brunsvicia civitas jam apertis oculis, inter hæc stupefacta, ignorat, cum medio suorum se cernat hostium inclausam, nec in opportunis sibi rebus prospexerat. Delusam itaque tum sua se sentit opinione. Quamobrem pressuræ & angustiae erant undique, nec tum aliter cives opinabantur, quam gravibus brevi tempore se subiaciendos periculis. Alta turrium dissolvi cacumina, præcipitemque dari in ruinam suas habitationes, ac majorum hospitia suorum funditus evertenda, thesaurifatasque divitias in rapinam & spolia dividendas, violento quoque ac prædonio jure suas calamitates & servitutes perpetuo defendas. Quid multis opus est verbis? tandem cives ipsi sic expergefacti, hanc Davidicam ad memoriam reducunt sententiam: Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. Spem suam in altissimum ac in Divos suos rejiciunt patronos, & omni posthabita cura & metu, recuperataque fortitudine & audacia, consilia & auxilia à civitatibus sub hensa federatis postulabant: quæ mox suppeditas Brunsviciis mittere nequaquam recusant, animadvertentes ac sibi ipsis prospicientes, si hæc civitas, quæ caput est totius hensa fidei, in ruinam perveniret, de facili ac in brevi omnes reliquas de hensa civitates pericula subituras. Rebus sic, ut præmissum est, habentibus, Dux *Hinricus Senior*, Princeps impiger & infatigabilis, non quiescens magnum satis congregat exercitum, Principibus undequaque sibi auxiliantibus. Et quia hoc in exercitu plerique Principes & nobiles, inulta strenuitate conspicui eminebant, non incongruum est hoc loco, seriatim per sua nomina Principes, Reges, Duces & nobiles, qui præmemoratis Brunsviciis Ducibus auxilio venerant, describere. Dignum enim est sic hac in parte, ut de his, etsi non de omnibus, saltem de præcipuis & majoribus, mentionem faciamus. Inprimis igitur expeditos & electos miserunt milites illustres ac magnifici Principes & Domini *Johannes Rex Danimarchia, Suecia & Novægiæ &c.* Reverendissimus in Christo Pater & Illustris Princeps & Dominus, Dominus *Ernestus, Ecclesiarum Magdeburgensis Archiepiscopus & Halberstadenensis Administrator, Dux Saxonie &c.* Is tamen post hac suos ad propria revocavit. *Fredericus Princeps Elector & Johannes fratres, Duces Saxonie, Lantgravius Turingie, & Misna Marchiones*, exercitum miserunt validum, tam equestrem quam pedestrem. *Johannes Marchio Brandeburgensis Princeps Elector: Georgius Comes Palatinus Rheni & Dux Bavaria: Bukflevus Dux Pomerania: Magnus & Balbasar fratres, duces Magnopolitani: Johannes Dux Saxonie & in Lauwenburgo: Fredericus Dux Holsatie: Reverendus in Christo Pater & Dominus: Dominus Conradus Offenburgensis Episcopus: Wilhelmus Hassie Lantgravius: Guntherus Comes in Spartzburgo: Udalricus Comes in Mansfeldia: Hinricus Comes in Stalbergo: Anthonius Comes in Schomburgo: Fredericus ac Mauritius fratres, Comites in Spigelbergo: Nobilis Bernardus de Lippia*, vassallique fere omnes diocesis Hildensensis, multique alii & nobiles & milites, quos omnes & singulos enumerare fastidium generaret. Hi autem præmemorati omnes vel in personis propriis, vel per suos Duces & Capitaneos in satis electa militia, hoc in bello Ducibus duobus, *Hinrico & Hinrico* prænarratis, tanquam hujus belli capitibus, suffragium afferentes comparuerunt. Nusquam enim legitur, Brunsvicios Duces tot Principes, tot Nobiles, tot Comites, tot milites atque tot juvenes bellicosos, quot in hoc bello, in unum coegisse. Ubi totius Saxonie militum flos in unum convenerat, toti huic exercitui *Hinricus Dux Brunsvicius Senior*, cum & ipse caput esset hujus belli præcipuum, ac in perferendis bellis animosus & infatigabilis Princeps, Rector, Dux & Moderator ab omnibus eligitur, præficiatur & instituitur. Fuit quoque multa plerumque diligentia ac pollicitatione ad hoc vocatus bellum Reverendus in Christo Pater & Dominus, Dominus *Bertoldus Ecclesiarum Hildensensis Episcopus & Verdensis Administrator*, nec tamen aliquo poterat conatu evocari: allegans, neque sibi, neque suis Ecclesiis aut sibi subiectis ex usu fore, bellum aliquod sua sponte & nisi lacessitum suscipere. Sunt qui dicant, contra hujuscemodi ipsius Reverendi Patris jam memorati allegationem *Hinricum Ducem Seniore* Brunsvicium Ligam, inter sese mutuo factam, ac obsequia & auxilia, per se prioribus annis, dum bellum adversum civitatem ageret

Hildensemam, ipsi præstita, objecisse. Ad hæc autem Ducis verba Reverendus ipse Pater, ut est Dominus callidus, prudens & ingenio promptus, respondisse fertur: hoc ipsum fœdus, de quo narratio fiebat, jamdudum non quidem suo, sed quorum maleficio, ipsi Duci esse satis manifestum, ruptum & solutum. Super obsequiis autem & auxiliis, sibi in bello allegato præstitis, nequaquam ipsum causari oportere, cum non gratis in hoc bello sibi obsequutus fuisset. Et cum nullo ad hoc Ducale bellum negotio Reverendus ipse Pater præmemoratus adduci potuerit, quædam malignitatis nota [ut ajunt] per Ducem adversum hunc Patrem Reverendum concepta est. Quorsum autem hujusce malignitatis scintilla evolabit, aut, si quem exuscitaverit ignem, tempora futura manifestabunt. Inter hæc Brunsvicii cives castellis denuo, quæ in possessione tenebant, commeatum inferunt, majoraque in ipsis deputant præsidia. Arcem autem *Aseburgum* ex mandato civium, vel ob magnorum sumptuum expensionem & continuos victualium succursus, vel quia cives Ducis & exercitus imminens potentiam, ob aquarum defectum, quas commode, si contingeret ipsam obsidione cingi, cum in alto sit monte constructa, habere non posset, pertimescerent: hi qui in præsidio erant, flammis injectis succenderunt: projectis tamen prius per muros urbis tormentis, armis ac aliis rebus bellicis, quæ ad tuitionem arcis locatæ fuerant, ne ad commodum ac utilitatem Ducis pervenirent; quæ post hæc clam noctu ad civitatem sunt reducta. Ipsi vero milites, arce sic relicta, pedites in civitatem Brunsviciam se receperunt. Deinceps, ubi Brunsvicii in vigilia *Divi Bartholomæi Apostoli* castello, quod *Vebeldium* appellant, multa virorum animositate suffulti, etiam commeatum intulissent præsidiumque in ipso majus collocassent: *Dux Henricus*, cui id patefactum est, una cum electis militum cohortibus, civibus in reditu ipsorum, qui jam fere omne periculum evaserant, occurrit, & postremos, qui erant, citato potentis velocisque equi sui cursu (quem ex quadam singularitate *Speckbotel* appellabant) invadit. Itidem & reliqui de parte Ducis intrepidi faciunt: plurimos ex adversariis suis Brunsvicios lanceis rigidis, acuto ferro munitis, ab equis prosternunt, plurimos intercipiunt, cæteris in fugam conversis, quibus celeribus suis petunt gressibus civitatem. Nec mirum sane, cum cives adhuc armis insveti, ex diutina pace & libertate, ad bella inertes & minus idonei fuerant. Nullum enim ab annis supra quadraginta civitas ista bellum gesserat, quando & cum avo hujus *Henrici Ducis Senioris*, etsi non tanto conatu, depugnabant. Quamobrem facile ad veritatem sequentium adducor carminum:

Mollibus assvetus clypeum bene non gerit armus,
 Nec retinet gladium fortiter uncta manus.
 Qui jacet in plumis, nil duri passus in armis,
 Non potest, ut sœtus vir tolerare malum.

Et nisi hæc in tumultuaria pugna Hildensemensis civitatis Capitaneus, nam & ipse huic interfuit conflictui, ab equo suo descendisset, ac animosiores ad se vocasset adolescentes, qui una cum ipso Capiteano memorato, commodum ad resistendum Duci locum captantes, exercitum Ducis repulissent, civitas ipsa Brunsvicia tunc multo damna majora pertulisset. Capti in hac pugna mercenarii erant Brunsvicii milites: ex civibus aut pauci aut prorsus nulli ceciderunt. Inter hos turbidos rerum successus, in vallo fossatorum civitatis, ex lignorum congerie & arborum illic amputatarum una cum terræ intermixtione, per girum urbis totius munimenta, quæ *pectoralia* vocant *tuta menta*, & propugnacula parantur, fossataque novæ cavantur. Interdum noctuque operi intenditur: Non cives, non mercenarii milites, non matronæ, non nuptæ: non virgines opere vacant. Ligna enim, terram, saxa humeris portant: nemo non manum apponit, ut publicæ salutis consulatur. Domunculas etiam juxta vallum undique ædificant, quibus excubiæ & vigiliæ circumquaque fiunt. Machinas quoque & tormenta, quæ *bombardas* vocant, supra fossas collocant, quæ transitum civitatis hostibus prohibeant ac impedimento essent inimico vadenti. Insuper in tanta rerum omnium perturbatione templorum sacerdotes, virgines, mulieres, viduæ, publicis assidue supplicationibus, in locis sacris & extra, altissimum orant, ut suæ civitati auxilium mittat de sancto, & de Syon tueatur eam: attendentes, quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est. Dux interim exercitum indies augens castella, quæ civitas quinque numero possidebat, *Vebeldium*, *Nouum pontem*, *Campum*, *Sepem* & *Aseburgum*, quod jam, ut præmittitur, flammis exustum est: quare de ipso in sequentibus nulla fit narratio; brachio vicissim potenti cingit. Primum quoque *Vebeldium* castellum die sancti *Ruffi*, quæ fuit vigesima sexta mensis Augusti, aggreditur, machinisque contra ipsum collocatis, validè illud oppugnare cepit. Saxa enim non modica intra castellum jactabat, & tormenta, quæ *mortaria* vocant, ut castellum diruant atque mortales conterant, adjunxit. Inter oppugnandum tamen Dux caduceatorem suum ad ripam fossati mittit, ut his, qui in præsidio castelli erant, suo dicat nomine, nisi castellum suas in manus abs negotio & impedimento tradant, brevi temporis momento omnes ad unum interituros. Si autem suis se obtulerint votis, castellumque relinquunt, omnes una cum rebus suis, quo velint ire, libere

libere (*) dimissuros: & in his saluti suæ consulant, ac quid melius ipsis appareat, eligant. Tum castellum, deliberatione matura impetrata, quia cernunt, se nimium debiles ad resistendum tanto exercitui ac hujus potentia principis; etsi castellum aqvosis stagnet, fossatis, cum autem vallo, aggere ac muro careat, domusque ipse majori ex parte ex ligno & luto sint ædificatæ: consulto eligunt, ut præter discrimina evadant, & vitam & corpora salvent; data tamen prius super oblati & promissis fide, deditionem castelli faciunt ipsumque in manus Principis tradunt. Qui igitur in præsidio erant castelli, ubi deditionem fecere, in civitatem Brunsviciam libere & sine impedimento se transferebant. Hoc modo Princeps ipse castellum hoc præter conatum magnum modicoque cum periculo ad se traduxit. Hinc moto exercitu, reliqua castella tria, *Novum pontem, Campum & Sepem* vicissim, postquam bellico cingit apparatu, pari modo in eorum oppugnatione, quemadmodum apud Vecheldium Princeps usus, brevi temporis tractu omnia suæ adjecit ditioni, & usque ad finem belli in sua retinuit possessione. Veruntamen Vecheldium magis cæteris aggere, valloque novis ac propugnaculis circumpositis ornat, roborat atque munit. Præterea villas & vicos, qui ante hac *Affenburgo* subjecti erant, Princeps ipse distraxit & aliis suæ ditionis castellis adjecit. Sed his denique victoriis Dux minime contentus, animositate sua fretus ad ulteriora progreditur, & raptim exercitu tam equestri tam pedestri in unum collecto *Brunsviciam* conatur obsidione cingere civitatem. Quem ubi vigiles, qui in arcibus templorum excubant, in campis hostilibus signis apparere cognoscunt, id ipsum per buccinas nunciant. Magna tum profecto populi frequentia ad hoc spectandum concurrat: fit etiam magnus civium fulgentibus in armis concursus. In fossatis quoque ac muro, unus gaudens, quia Duci favet, alius vero moestus, quia Duci contrarius est, conspicitur. Dux vero ipse, quantum jactus lapidis est tormentalis, ab urbe ad partem septentrionalem, *in monte* quodam aut juxta ipsum, quem *Milvium* appellant, castra metatur, papiliones erigit, ac circum quaque exercitum fossatis muniri jubet. In exercitus autem adventu quidam Ducales tam equites quam pedites versus urbis portas, audacia quadam fieri, irruunt. Sed eruptione à mercenariis militibus, qui in civitate erant, facta, fugantur, funduntur: quidam quoque ex eis trucidantur. Dux ubi per dies aliquot hoc loco obsidionem continuasset, multosque intra civitatem lapides & magnos & parvos projecisset tormenta, ac ita cives ipsos molestasset, cum tamen in nullo civitatis faciem deformaverit, sed duntaxat quarundam perforaverit habitationum tecta, neque mortales aliquos contriverit, sed bombardarum strepitu solum ipsos perterruerit: homines enim sibi ac pueris facile in latibulis ac subterraneis locis præcavebant; tandem spe oppugnationis frustratus est. Etenim Brunsvicium civitas, ut præmittitur, & magna & ampla; multa quoque defensione firmata. Quamvis enim ad partem septentrionis paululum cincta fuerit obsidione, ad alias tamen plagas unicuique liber, & securus patebat exitus. Quamobrem exercitum cum etiam tunc hiemis rigor invalesceret, intra *Monasterium Riddershufense ordinis Cisterciensis*, ducentorum ac quinquaginta fere passuum à civitate collocatum, traduxit. Ipsum quoque monasterium, celeritate quam maxima in aggere, vallo, fossatis ac propugnaculis munivit firmissimè. Illic enim mercenarios suos pedites, quos Latino sermone *provinciales ministros*, vulgari vero *Landsknecht* appellant, adversum civitatem Brunsviciam collocavit. Tum Dux ipse *Hinricus Senior* ad hiemandum in castrum suum Ducale *Wulffenbuttellum* se recepit. Posthac circiter festum divi Matthæi Apostoli & Evangelistæ literæ, quas quærimoniales vocant, pluribus in civitatibus per Brunsvicios contra Duces publicè affiguntur: quibus sane post aliquot dies Principes pari modo respondent. Neque tamen bellorum motus interea quieverunt, sed imo levia quædam ac tumultuaria prælia inter partes contingunt bellantes. In his quidem quandoque Ducales, quandoque civitas juxta fortunæ favorem superior facta est, plerumque etiam inter hæc tam hi quam isti cadunt & profliguntur. Dum res istæ hoc modo, ut præmissum est, gererentur, sæpius in civitate *Hildensemme* de liga civitates ad consultandum super statu rerum hujus belli in favorem Brunsviciorum convenere. Ubi tandem circiter diem solennem Divi Martini ex consilio civitatum, etsi nondum Hildensemenses manum huic apponerent bello, in commodum tamen & favorem Brunsviciorum mercenarios milites, tam equites quam pedites, (ex omni natione & undequaque veniant,) intromittunt, suscipiunt & conducunt. Sed ubi fere duo millia talium collegissent, inter quos tamen peditum major erat numerus: iterum de liga civitates hanc arduam gravemque Hildensemensibus proponunt sententiam, unanimi ut consensu una cum Brunsviciis hoc bellum perniciosum agere velint, tanquam bellicis in rebus præ reliquis sint civitatibus magis probati, promptiores & audaciores: tum etiam hac ratione, cum Brunsviciæ sint civitati viciniore, atque in unum facile cum eadem ad resistendum Ducibus conglobari possint. Quamobrem huic civitati per corporalem ac personalem manus appositionem auxilio subveniant, etiam sub eodem gerant cum Brunsviciis hoc bellum auspicio, postulant, rogant & orant. Insuper his adjiciunt, taxam ipsis Hildensemensibus, ad apponendum bello ex liga debitam, quietam ac liberam

(*) Dimittendos.

beram eis remitti: ceteras autem civitates tam ipsis Brunsviciis, tanquam principalibus, quam Hildensemensibus tanquam confortibus ipsorum, juxta facultates suas & consilio & ære futuras adesse debere. Ultra hæc prænarata id adjungitur, nisi ad hæc jam memorata civitas Hildensemensis assensum et voluntatem præbeat, præ oculis esse, magna pericula, damna & incommoditates omnes in brevi civitates subituras. Hoc quidem etiam sic fieri maxime Brunsvicii petunt & flagitant. Ad hæc vero *Hildensemenses* attoniti nesciunt, quid in primis respondeant. Tandem autem dicunt, sibi non ex usu fore, ut in his magnis rebus sibi expositis atque arduis, civitates certiores reddere possint, nisi prius harum rerum ad eos, quos *viginti quatuor* appellant; imo quoque ad totius civitatis suæ communitatem relationem faciant. Tum civitates, ut id proxima die postera exequantur, Hildensemensem rogant, magistratum. Ubi autem præmemorata ad communitatem Hildensemensem mox, ut præmissum est, relata sunt, tota ipsa communitas uno ore, sese sui magistratus his in rebus & consilio & ordinationi penitus assensum præbere & favorem respondisse fertur. Hinc grandis textitur Laberinthus, ut est in congregationibus hominum diversis, diversa sentientibus.

Nam

Velle suum cuique est, non voto vivitur uno.

Etiam quia, quot capita, tot sententiæ. Nam sicuti variæ circa sensuum apprehensionem electiones sunt, ut hunc frigida, ferventia quosdam, alios temperata delectent: huic dulcia placeant: alios austera, sævius alios acedo permulceat: sic contingit in apprehensionibus intellectus, ut nihil sit, quod omnium opinione recipiatur. Quidam itaque in Hildensemensi magistratu nequaquam à sua civitate Ducibus præmemoratis inferri bellum pervadebant, ne apud Hildensemenses semper perniciosum bellum magis sit, quam tranquilla pax usitatum: attendentes, bellorum eventus semper esse ambiguos, & dubia esse pugnantium pacta. Adjiciunt etiam hi, à præriorum esse conflictibus tutius temperare: sed si civitates reliquæ huic bello corpora & manus suas apposuerint, se nequaquam defuturos, melius fore: vel ut juxta taxam sibi debitam, quemadmodum & aliarum civitatum, Hildensemensis comitas ipsi bello cooperetur. Tum reliqui eodem de magistratu, quorum pars major erat directè contrarium sentientes, bellum Hinrico Duci Seniori inferri, rationibus ex prænaratis persuadere non formidant. Pars illa, quia major, aliam sua sententiâ superat. Bellum igitur ab Hildensemensibus, sub auspicio Brunsviciæ ac aliarum civitatum, adversum Ducem intentari concluditur. Ad annum itaque nostræ Salutis *Nonagesimum tertium super millesimum & quadringentesimum*, vigesima prima Januarii, quæ fuit dies Divæ Agnetis Virginis, hostiles literæ, quas diffidatorias appellant, *Hinrico Duci Seniori Hildensemensis civitatis nomine*, quibus publicus hostis declaratur, transmittuntur. Hæc ex re Dux præmemoratus, ut facilis est omnium conjectura, haud modicè gravem adversum Hildensemensem civitatem animum concipiebat. Nulla autem prorsus hac in diffidatione memoria de *Hinrico Duce Juniore* fiebat, quoniam cum hoc ipso Principe Hildensemenses fœdere juncti sunt firmissimo. Ipsum semper, tanquam suum Dominum & Principem gratiosum, fovent, colunt & venerantur. Sub his malis rerum turbinibus Brunsviciæ pauperes mulierculæ, virgines quædam & puellæ, quibus ex laboribus manuum suarum victus est, nimia ductæ penuria, quandoque ad viciniora campestria & silvestria suæ civitati loca, pro colligendis lignorum fragmentis ac arborum radicibus, ramusculis & putaminibus, quo suos domi parvulos præ rigore hiemis, quæ tunc sæviebat, præservarent, sub aliquanto se traduxerant numero: ea quoque lignorum fragmenta gravi vi corporum intra sua bajulabant habitacula. Sed invida Ducalium militum malitia illas plerumque persequitur, lacescit atque molestat. Sunt, qui dicant, hæc de re Hinricum Ducem Seniore Brunsviciis publicas destinasse literas, mulierculis hostiles. Quas ob res post hæc denuo etiam contra hunc Hinricum Ducem Seniore per Brunsvicios, super ea mulierum persecutione, multis in civitatibus queremoniales sunt affixæ literæ. In Ducalibus autem fertur insertum literis, ni mulierculæ ab his lignorum fragmentis desistant colligendis, suorum ipsas corporum pericula & incommoda reportituras. Facile tamen nunquam assentior, nec unquam in hanc adducor sententiam, nobilem ipsum Ducalem sanguinem, ex pleno rationis consensu, hujuscemodi mandatum adversum hunc mollem, fragilem & imbellem muliebrem sexum: verum magis aut ex his, qui Duci adherent, aut quodam joco & levitate, ad ingerendum terrorem aliquem mulieribus, emanasse. Fœminæ autem (ut ajunt) cum à præmemoratis non desistant, nec sperantes, Principem tam durum crudelemque animum in se concepisse: ipsi, qui ad ventris ingluviem, rapinas & mœnra, quemadmodum mel muscæ ac cadavera lupi, aulas sectantur Principum & Dominorum, existimantes, omnia sibi licita & executioni demandanda, quæ principes quandoque ira & furore perciti, aut joco quodam jubent & præcipiunt: quos nequaquam milites, sed potius lupis, ursis, pardis ac leonibus immaniores dicam, ex naturali & quadam propria sibi insita impietate & malitia, in miseris irruunt mulieres, ipsas invadunt, cædunt, vulnerant, capiunt, ad aliquot dies captivas reservant. Vestes etiam usque ad nates & femora

mora

mora quibusdam refecant, (& quod miserabilius) quasdam ipsarum (ut ajunt) in naribus ac mamillis mutilant, ita [ut] pleræque haud longe posthac præ dolore ac mentis anxietate spiritum exalaverint. O scelestam audaciam! O immanem crudelitatem! Proh scelus immensum! Etsi justum ad eam ac rationi consentaneum semper apud me judicem, ut mulieres pessima, quæ demonibus sunt immaniores, dignis subjiciantur castigationibus, neque ob id æquè in singulas est faciendum. Veruntamen multa, quæ in bellis fiunt per satellites scandala, quando facta quidem sunt, pluribus ex rationibus Principes dissimulare coguntur. Hinc etiam plerumque ex divina permissione, qui hujuscemodi vitia excessus & scandala committunt, crucis sententiam quandoque reportant, rotati pereunt, aquis suffocantur, aut alio malo mortis genere animas suas exsuflare coartantur. Non possum hoc loco *Lucii Pauli* nobilis Romani immemor esse, cujus humanitas & clementia perpetua laudis memoria jure apprehendenda est. Is enim, cum *Perseu* parvi temporis momento captivum ex Rege ad se adduci audisset, occurrit ei Romani Imperii decoratus ornamentis, conatumque ad genua procumbere, dextera manu allevavit, & Græco sermone ad spem exhortatus est. Introductum etiam in tabernaculum lateri suo proximum in consilio sedere jussit, nec honore mensæ indignum judicavit. Si hic *Lucius* ea est usus erga virum hostem clementia & humanitate, quanta denique etiam misericordia omni jure & merito impii Ducales auxiliarii fragile mulierum genus, quæ neque consilio neque auxilio huic consenserant bello, profecuti fuissent. Unde, si egregium est hostem dejicere: non tamen minus laudabile, infelici scire misereri, mente recta debebant volutare. Deinceps quoque, dum ista sic fierent, *Hinricus Dux Senior vigesima sexta Januarii die* Hildensemenses cives tumultuario & satis forti in campum irritat & provocat hostiliter equitatu, ac usque in locum, quem *Grispenstedium* vocant, infestis signis evadit. Cives itaque memorati impigrè & animosè una cum his, quos apud se habebant, militibus Principi occurrunt. Principes quidem equitatu, cives vero contra peditatu superiores fuerunt. Fit hoc in loco pugna brevis: verum satis periculosa. Plures utrinque capti, aliquot vulnerati: aliquot etiam trucidati. Tandem, ubi æque Marte pugnatum est, ab invicem discedunt. Captus cecidit hac in pugna ex Ducalibus præter ceteros *Clemens de Bulawa ex Marchia Brandeburgensi militaris*. Ferunt, Ducem post hunc dixisse consuetum, si vincere cives novissent, toti tum bello finem imposuissent. Interea etiam *Brunsvicia civitas*, ex diutina obsidione ac longa publicæ strætæ clausura, in victualibus ac aliis rebus ad humanum usum necessariis deficere cæpit. Modica enim aut nulla fuit annona, quæ in manus pauperum pervenire potuit. Cerevisia etiam, quæ tum braxabatur, parum in sapore ab aqua differebat. Res vero aliæ nummismate appetibiles, duplo caris, quam antea, ac in aliis civitatibus venumdabantur: quæ omnia & singula Principem & hostem non latebant. Tum opidorum incolæ vicinorum utriusque sexus, senes atque juvenes, clam noctu per amfractus perque circuitus, publicam stratam declinantes propter custodes, qui in ipsa vagabatur, quantum corporibus suis gestare poterant, in butyro, caseis, piscibus aliisque humano usui necessariis, tametsi parum hoc fuerit tantæ urbis multitudini, lucro allecti *Brunsvicia civitati* inferunt. Sed ubi hoc ipsum Princeps & una exercitus suus exploratum receperat, confestim major adhibita custodia. Putabat enim hoc modo præmemoratos oppidorum homines ab hoc suo facto Princeps, etiam minis adjunctis, deterrere. Cum igitur neque hoc illos à proposito revocaret oppidanos, sapiusque moniti essent neque desisterent, à custodibus viarum tandem spoliantur, caduntur, mutilantur, vulnerantur, ac etiam quidam ex iis trucidantur. Iterum durum & crudele hoc fuit spectaculum, quia neque sexui, neque ætati, neque juventuti, neque penitus ulli sit indulgentia. Objiciet forsitan aliquis hoc loco: dignè meritoque oppidani isti ac mulierulæ supra memoratæ, quia ipsi nolebant Principis obtemperare monitis, hæc tanta mala patiuntur. Sed quæso animadvertamus, anne quandoque stultitiæ atque hominum rusticitati in tam levibus sit parcendum rebus, & quandoque dico paupertati. Etiam mente pertractet unusquisque, quanto commodo tantum, tamque parvum, tam hi quam istæ quod suis gestare poterant corporibus, tam populosa profuerit civitati. Anne etiam lucro ipso, quod tanto nanciscebantur periculo, reddi potuissent locupletiores. Sed putabat Princeps hoc modo fame rerumque penuria *Brunsviciam* torquere civitatem, ut tandem ipsam suis redderet votis conformem. Neque Principem latuit, civitatem ipsam ante belli initium sibi in his, quæ humano usui in bello opportuna sunt, minimè providisse. Quid autem hoc loco de *Brunsvicia civitatis* locupletioribus dicam, non habeo. Quanquam enim in hoc rerum discrimine, magis fames ac annona caritas communem ac tenuiorem urbis populum torqueret: locupletiores tamen [ut ajunt] horrea plena habentes, quod post hac in apertum prodierat, eidem ipsi populo, pro sufficienti etiam ære, nec minimam partem impartiri volebant. Non sic *Susatenses* quidem, non sic *Monasterienses*, non sic etiam jam proximis annis *Nussiensis* fecere, quibus in tempore opportuno pro competentem ære commune fuit horreum. Taceo *Rhodios*, quia nimis longe hinc positi sunt: quantum tamen lectionibus hausit, etiam tenuissimi in ipsorum obsidione minime defectu torquebantur. O locupletum impietatem! O patriæ direptores! O mortales avarissimos! Memoresne fuistis hoc vestro in tempore gravissimo *Constantinopolitana cladis, in qua, cum*

cives opulentiores Imperator inops saepe lacrymis rogasset, ut pro militibus conducendis vel pecuniam mutarent vel contribuerent, jurabant, se inopes & exhaustos: qui postea ditissimi, repertis eorum thesauris ab hoste, inventi sunt. Quod si igitur recte contemplari liceat, patriæ pietatis majestati etiam illa, quæ deorum Numinibus æquatur, auctoritas parentum vires suas subjicit: fraternam quoque charitas animo æquo ac libenter cedit, summa quidem cum ratione. Quia everfa domo interdum reipublicæ status manere potuit: urbis autem ruina penates omnium secum trahat necesse est. Nam cum secundo Punico bello Romanum exhaustum esset ærarium, nec Deorum quidem cultui sufficeret, publicam ultro aditos censors hortati sunt, ut omnia sic locarent, tanquam respublica pecunia abundaret, sequere præstaturus cuncta, nec ullum assentem nisi confecto bello petituros. Domini quoque eorum fervorum, quos Sempronius Gracchus ob insignem pugnam Beneventi manu miserat, pretia ab Imperatore exigere superfederunt: viri ac feminae, quicquid auri argentive habuerunt: item pueri insignia ingenuitatis, teste Valerio Maximo, ad sustentandam temporis difficultatem contulerunt. Patet igitur ex his jam memoratis, quam benignæ quamque profusæ pietatis erga patriam, superioris ætatis homines extitere. Non sic Brunsvicii locupletiores granarii, in tanta suarum rerum perturbatione, erga patriam suam ac populum pii, grati beneque merentes [ut ajunt] inventi fuerunt. Animadvertentes idcirco *Hildensemenses* hanc in Brunsvicio rerum ac victualium defectum & penuriam, ipsi Brunsvicio, tanquam suæ sociæ civitati, commeatum clam inferre decreverunt. Nisi enim *Hildensemenses* tum Brunsviciis succurrissent, actum ipsis cum Brunsviciis fuisset. Omnibus itaque et singulis ad hoc opportunis negotium, ut in victualibus & ad bellum necessariis, etiam curribus aliisque vehiculis, satis justo numero oneratis ordinatis & dispositis, *duodecima Mensis Februarii*, quæ fuit tum dies Martis ante Dominicam *Esto mihi* proximam, nondum adhuc sole illucescente, *Hildensemenses* cives omnes & singuli una cum equitibus se ad iter rebus cum præmemoratis accingunt, & usque *Peynam* oppidum *Hildensemensis* Ecclesiæ feliciter eo die perveniunt. Eo quidem loco etiam Brunsvicii, die proxima præcedente cum omni suo robore *Hildensemensibus* occurrebant. Oppidum namque *Peynam* præmemoratum civitates istæ duæ hoc durante bello, tanquam communem in medio metam, quo semper, cum opportunum foret, convenirent, constituere. Sic igitur duo exercitus duarum civitatum juxta *Peinam*, ut Duci & ipsius exercitui in progressu suo & commodius & fortius, si fortè aliquid adversum eas contrarii machinaretur, sese objicerent, tum in unum sunt conglobati. Minimè autem Ducem latebat, quid civitates agerent quidve pararent, aut quo in loco essent. Omnia namque & singula explorata habuit. Quamobrem toto conatu omniqve potentiâ suâ, periculum si subeundum etiam foret maximum, irritum facere civitatum negotium decrevit; imò illud prohibere prorsus & impedire cogitabat. Publicam igitur stratam & directam Princeps omni diligentia, cura & studio à *Peyna* oppido Brunsvicium versus, fossatis, cuniculis & specubus, ut civitatum quadrigis transitum impediatur, scindit, perforat ac impermeabilem reddit.

Vere novo gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit;

Et præterea cum post hiemem rigidam suis exutam pruinis, nivibus liquefactis, varii pervallium concava fluvii varios intumescerent in decursus, ut primum lux alma data est, *decima tertiâ mensis Februarii die*, ubi Ducis studium ad aures pervenit civitatum, quo insidiarum impedimenta ipsis locaverat, exercitus ipsarum per viam longiorem, quæ villam versus, quam *Blekenstedium* vocant, Ducatus Principum Brunsviciorum circumvagari declinareque cogebatur. Dux igitur ubi civitatum in campis esse exercitum, ac per aliud iter progredi persenserat, copias suas in unum congregans sic exorsus eos exhortari nitēbatur: Vos quidem, ô commilitones, atque ô vos charissimi & confidentissimi. Cum Brunsvicios, nostros inimicos, per longam ac diutinam macerationem in hunc perduxerimus locum, contemnite eos, ut victores victos decet; ut fortes ex victualium abundantia, confectos fame & macie; ut quibus integræ vires manent, plura perpeffos. Tanta ulterius potentia adest. Ingentes apparatus, conscientiæ causa optima: jure legum freti opinione recta, totque præcellentibus stipati viris, adversus homines rusticos, per iniquitatem ac in justitiam sibi nostra jura vendicantes. Ite igitur, ut justum est, cum bona spe, ipsorum in bellicis rebus inexperience in conspectu vestro præponentes. Hi sunt enim, qui nos, cum justa peteremus, rejiciunt. Hujus rei vindices in unum nobis adeste, & nostræ erga vos, siquid est vobis ingenii, fidei curæque reminiscamini. Non enim difficile admodum, inexpertos viros ab his, qui labores & prælia experti sunt, pugnam superari. Sociorum quippe *Hildensemensium* nulla ulterius à vobis cura aut ratio habenda est: neque cum illis pugnandum credite, quos apud *Drissenstedium* experti sumus. Viri quidem imbelles sunt, nequaquam vincere parati. Non igitur spe vestram nos aut vos ipsos defrauderis. Nullus itaque insurgens turpiter cedat aut alterius comminatione sit inferior. Forti atque parato animo fitis, & cum prælium inibitis, meminertis, vos decus atque gloriam in dextris vestris portare. Præsentia quidem celeritate imprimis indigent, ita, ut nihil in sequentem sit diem differendum. Verum hodie de tota belli mole

moie decernendum est ad victoriam usque, aut insignem mortem. Victoribus unâ die, uno opere pecunias exercitus, auream quadrigam, quam in campis jam cernimus, & victoriæ ipsius præmia licet adipisci. Hæc tantum nobis cordi sint, ut, cum primum in illos impetu feremur, festinationis & celeritatis recordemur, & eos præcipientes, à castrorum transitu excludentes, ad camporum planitiem compellamus, ne bella denuò exfuscitent, neve per inertiam in nos quicquam ulterius moliri queant: qui ob debilitatem nullam in pugnando spem, sed ab armis abstinendo posuerunt. Hoc modo *Henricus Dux Senior*, ubi suos ad pugnam adhortatus est, finem dicendi fecit. Ad hæc sanè vir quidam genere militaris, de ipsius exercitu Ducis, & bellicarum rerum peritia callidus Principi, quamvis frustra, persuadet, ut sibi suoque exercitui benè prospiciat bonique consulat. Nam hostes curribus bellicis in castrorum morem septos se scire affirmat, è quibus haud facillè ipsos, etiam in eorum progressu, deturbari propellique agnoscit. Tùm Dux suâ fretus animositate; siquemetus aut trepidatio habeat, priusquam ad arma res procedat, ne ignominiam reportet, suæ provideat salutem. His etenim verbis omnium ora clausit, ac quisque, prout temporis opportunitas postulabat, sibi prospexit. Interim civitatum exercitus dum progreditur, cum hostilibus signis Ducem sibi in campis occurrentem prospicit. Priusquam autem exercitus ipsi ambo convenirent, armorum & rerum peritiâ clarus *vir militaris sanè de Plettenbergo, Coloniensis dioceseos, quem sibi civitates hoc in bello Capitaneum delegerant*, brevi admodum oratione exercitum ipsi commissum in hanc formam verborum est allocutus: Nequaquam vos fugit, scio, viri amantissimi, quibus ex causis hunc in locum, quo vestros infestis conspiciatis signis inimicos, processeritis. Pro libertate enim vestra, pro patria, pro aris, pro focus, pro liberis & conjugibus vestris hodiè vobis depugnandum est. Hæc quidem dies vos aut victores aut victos faciet. Nullus igitur metus, nulla trepidatio vos arripiat, animum fortem atque audacem capefite. Semper in prælio maximum est periculum, qui maximè timet. Audacia pro muro habetur. Mementote, inquam, vos viros, nec maiorem gratiam ad præliandum vestris inimicis, quamvis viri armorum existant, quam vobis præstitam à Superis. *Omnis profecto victoria à Domina Deo est.* Melius quoque ab omnibus dijudicatur, gloriosè in bello occumbere, quam in continua vitam agere servitute. Reminiscamini etiam sermonis hujus, quem vos plerumque audisse opinor: Omnibus, qui patriam juverint, auxerint atque tutaverint, definitum esse locum cum Diis in cœlestibus, ubi beato felicitique fruuntur ævo atque sempiterno. Non vos terreat horridus in armis inimicorum aspectus. In animum perducite vestrum, quomodo gladius gladio reprimitur, ac umbone repellitur umbo. Duntaxat fortiter ac animoso pectore, dum opus est, persistite. Dii omnes justorum duces præliorum fortitudinem & promptitudinem vobis administrabunt. Quam ob rem agite, ô cives, si impetum in vos hostes fecerint, forti & intrepido ipsis animo, telis, bombardis atque tormentis respondeatis. Quæ verò ad providentiam humanam & bellicam pertinent necessitatem, plura ac meliora quam hostibus vestris vobis adsunt. Ausim profecto vobis, omni dubio amoto, si perstiteritis, victoriam polliceri. Eamus igitur, optimi cives, certâ spe confisi: audacia minimè fervili pro libertate & justitia depugnaturi. Acclamantibus omnibus eamus. Tunc iterum Capitaneus silentium indixit, & subinde in hunc modum fari cœpit: Tandem, ô charissimi, ut etiam verbis finem faciam, video equidem nobis hostes viciniorem ponere pedem. Omnes hoc uno vos exoratos velim, vota faciens, proximo ut sequente Sabbatho abstinentiam in pane & aqua, in spem victoriæ, Altissimo & sanctis suis persolvatis. Iterum omnibus hilari voce, se id spontè facturos, promittentibus, demum verbis dicendi finem fecit. Tunc mox equitibus intra curraum castra receptis, ac aliis in ordinem suum dispositis, castrisque quadrigarum ultra progredientibus Dux equitatu suo, quò semper superior erat, (sunt, qui dicant, ipsi supra duo millia equitum expeditorum in hoc suo exercitu habuisse) ab uno latere curraum castris adest, & citato equorum cursu, tanquam in castra civium irrumpere vellet, exercitum civitatum invadit, telis ac lanceis inter confertas civium turmas projectis. Nec minus contra cives impigrè omni armorum genere suis hostibus responderunt. Et postquam modico temporis intervallo, dum itidem hoc Dux secunda & item tertia vice, conatu attentaret maximo, existimans, civium animis terrorem hoc modo ingeri posse, semper retrocedere cogebatur. Sed ubi exercitus utrinque in locum pervenisset præmemoratum *Elerkenstedium*, quo Dux peditatum suum antehac se expectare jusserat, (hoc namque loco totâ vi hostes aggredi meditabatur) Dux illic machinis & tormentis suis collocatis acieque ordinatâ, in quam homines agrestes & rusticos, quos pallia, togas & sarcinas suas, quibus victualia ferebant, ut ad pugnam expeditiores forent, rejicere jubet, ad machinas tutandas instituit. Ipse verò à posteriori parte cum equestri suo exercitu ac unâ cum his peditibus, quos *provinciales ministros*, vulgariter verò *LandesKnechte* appellant, castra civitatum dirumpere atque globum civium ab invicem separare decrevit. Fuit eo in loco (quia paludinosus erat) agger, ad humanum transitum factus; quem dum civitatum exercitus pertransire conatur, ac usque ad rivulum, qui aggerem præterfluit, pervenisset, Dux ex alia parte aquæ transitum civitatibus prohibere multo studiò laborat. Hic dum tali modo ambo hostium exercitus sibi invicem obviant ac mutuò concurrunt, ex utraque parte hosti-

libus erectis signis & aciebus ordinatis, inter utrosque praelium exoritur acre & perniciosum. In tantum enim repentinus utriusque exercitus furor solitam humanæ vim naturæ extinxerat, ut nihil aliud memoria omnino retineret, nisi ut hostes genere ac naturâ mutuo se truci intuerentur vultu. Hoc solum utriusque mente volutabant, diem illam hoc praelio universam & Principum & civitatum controversiam iudicio supposituram esse. Postquam igitur Ducales tormentis accensis aliquot civium stragem edidissent, impetus ingens & admirabilis sagittarum, lapidum telorumque magno strepitu auditur. Tunc cives recto progredientes diametro fluvium perrepunt, dirò Marte Ducalibus obsistunt, ad machinas quoque & tormenta festinè currunt, quorum rectores & magistris aliquot mox interficiunt, quosdam intercipiunt. Varique igitur nudis ensibus se invicem complexi, corpora ferrò petebant petebanturque, seque vicissim ex ordine pellebant. Agrestes tandem, qui ad machinarum tuitionem collocati fuerant, ubi glomeratam civium adspiciunt multitudinem, sive quod inermes essent, sive quod praeliorum strepitum propter inexcitationem sustinere aliquatenus non valerent, stationem relinquentes, projectis armis, relictis exuviis ac sarcinulis suis, fugæ subsidio confuso quodam ordine se committunt, & sylvarum latibula, ut salutis suæ consulant, quaesiverunt. Dux interea à parte castrorum civium posteriori non minus cum præmemoratis, tanquam fortioribus & magis fide dignis, Martis fortunam attentarat. Priusquam autem illic utriusque manus invicem confererent, altis vocibus (ut in praeliis fieri consuetum est) strepitus edunt, & Ducalibus ad sui Principis honorem *io Brunsvicium, io Brunsvicium* vociferantibus; Brunsviciùm tum cives ex adverso, relicto suæ civitatis nomine, unà cum Hildensensibus: *io Hildensemma, io Hildensemma* bis reclamabant. Hinc primo congressu buccinarum & tympanorum sonitus utrinque perstrepunt. Tum Ducis exercitus acutis lanceis ac celeri equorum cursu in hostes irruit: contra verò civitates non minus animositate assumptâ viriliter obsistunt, gladios stringunt, balistis, telis ac tormentorum jactu Ducem lacestant deturbantque. Fit undique strepitus, ferit aurea sidera clamor. Franguntur lanceæ, multæ per aerem sibillant sagittæ, dantque tormenta suos in modum tonitruorum sonitus. Inde rumpuntur arma, franguntur scuta, cassantur cassides, multi ab equis ex utraque parte prostrati & dejecti, inter bellantium pedes succulantur, etiam quorum plerique lethaliter sunt vulnerati. Ergo cædes horrida & suspiria ubique resonabant. Corpora quoque ab his omni ex parte efferebantur, cum alios ex adverso objicerent, qui penè illos ordines servarent. Duces & Capitanei ipsos discurrentes circumspicientesque undequaque ad impetum cogebant: pugnantibus quoque nomine invocabant, & ut amplius labori assisterent, hortabantur. Recentes etiam defessis apponebant, ut animus iis, qui à fronte aderant, eò magis augetetur. Tandem cum continuè ad horas tres praelium hoc non quievisset, *oppressi Ducis Henrici ordines passim dissoluti sunt.* Ipsi enim invicem permixti, nullo ordine à se ipsis et ab hostibus assiduè incumbentibus, foedè conculcantur, donec aperte fugam arripuerunt. Dux igitur spe victoriæ frustratus, paulatim retrocessit, ac ab exercitu civitatum declinavit, relictis bombardis aliisque rebus bellicis, unà cum curribus onustis victualibus, quæ omnia civitatum milites rapaci prædæ exponunt. Cibus, inquam, Duci ac suis in cœnam apparatus, in manus civitatum devenit: & inter cætera quidem vas magnum, assaturis recentibus, adhuc paululum calidis, plenum reperiunt. Has milites ceu lupi famescentes (isto namque die nondum cibo refecti fuerant) cum his, quæ in sarcinis agrestium profugorum relictis inveniunt, inter sese partiuntur & devorant. Cecidere autem hac in pugna aliquot ex Brunsviciis, & aliquot ex Hildensensibus civibus, Ex mercenariis autem utriusque civitatis militibus, tam equitibus quàm peditibus, numero plures hic oppetere continebat. Sed ex Ducalibus multò plures & ferè duplo numero necati interiire. Perit namque hoc in praelio Ducis signifer, *Theodoricus de Wyrthe*, vir genere militaris: plurimè utrinque lethaliter fauciati, quidam etiam desiderati. Profugis autem duobus Hildensensibus, quorum unus adhuc manus hostium incidit, civitas est interdicta, ita ut nunquam sint in eam reversuri. Capti ex Ducalibus multi: equi agrestes cum curribus magno numero sunt intercepti. Fuit quoque civitatum exercitus ad octo millia virorum, quorum sexingenti equites fuere: copiæ autem Ducis paululum minores erant. Verùm Dux semper equitatu superior: civitates verò peditatu excellebant. Sunt qui volunt, Ducem duo millia equitum: qui minus, mille quingentos habuisse. Civitates igitur, victoriâ feliciter obtentâ, Duce volente, nolente, ubi ab hoc se recipiunt loco, sole jam ad occasum vergente, quicquid via intermedia, quod ad Ducem spectat, habuit, ac quod attingere poterant, rapinæ & flammis exposuerunt, abductis secum omnibus his, quæ in manus ipsarum victrici gloria pervenere. In loco tamen praelii tormentum quoddam capitale, quod propter ipsius gravitatem, cum non haberent vehiculum ad hoc satis aptum, quo id commodè ferri posset, relinquant, & hinc jam advesperascente in Brunsviciam perveniunt civitatem: ubi cum ex praelio & itinere fatigati fuerint, cerevisiâ, quam eâ tempestate illic reperiunt, cum lætitiâ, & exultatione sumpta, nocturnæ se quieti reddidere. Postea autem die proxima, ubi suos mortuos funerariæ tradiderunt civitates sepulturæ, rapinam, quam ex praelio nacti fuerant, sub hasta & diviserunt & vendiderunt. Tum etiam Dux tormentum, quod in loco praelii relique-

reliquerat, refferri ad se mandavit. Cæterum ubi Hildensemenses per dies quatuor continuos apud Brunsvicios moram traxissent, die Martis proxima post Dominicam Esto mihi per eandem viam, per quam ante hac cum comæatu profecti fuerant, reverfi sunt ad propria. Post hos rerum turbines civitates ipsæ (quandoque seorsum) conglobatæ passim terras Ducis Henrici Senioris jam in Deysterno, jam in Brunsvicio districtu, ferro & igne multisque rapinis inde abactis, vastare cœperunt. Ista dum fierent mala, mercenarii civitatum milites (ut ajunt,) nimiam usi licentia, ne dicam impiissimam temeritate, sacratissima templa, Deo ac sanctis suis dicata, invadunt, spoliant, imò & hominum cæde, qui ad ipsa confugerunt, maculant; ita ut & illud Propheticum (heu dolor) de nobis jam Christicolis sit consummatum: *Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, deturpaverunt templum sanctum tuum, ac ipsum speluncam latronum ac locum sordidum impiorum constituerunt.*

Nec hoc solo contenti: imò etiam id, quod dum scribo, totus tremo & horreo, divinisimum illud corporis Domini nostri Jesu Christi Sacramentum ex vase suo, quod monstrantiam appellant, effundunt, aurumque & argentum sibi usurpant, suis quoque sacculis infarciunt. Nonne hoc ipsum horribile dictu & auditu. O cælos! ô sidera! ô maria! quis hæc sine rubore de nobis poterit narrare Christianis. *Parce itaque, parce benigne Jesu ac misericors Deus, & non avertas faciem tuam à fidelibus tuis.* Declinavimus omnes, simul inutiles facti sumus. Imitati sunt profecto sacrilegi isti, templorum Dei & sacrorum vasorum violatores, Dionysium tyrannum, Syracusis genitum; qui detracto Jovi Olympio magni ponderis aureo amiculo, quod eum Hiero tyrannus è manubiis Carthagenensium ornaverat, injectoque ei laneo pallio dixit: æstate gravem esse aureum amiculum, hyeme frigidum: laneum autem ad utrumque tempus anni aptius. Sic etiam pleraque alia sacrilegia sua jocosis dictis prosequi voluptatis loco solebat: qui tamen debita supplicia propria in persona non exsolvit, dedecore tamen filii mortuus penas rependit, quas vivus effugerat. Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate repensat. Lucius etiam Cinna & C. Marius, audi, hauserat civilem sanguinem, sed non protinus ad templa Deorum & aras tetenderunt. Quamquam autem hoc ipsum in mercenarios milites sacrilegium refundatur, ipsorum tamen Ducum interest de militari disciplina solerter providere, quæ, ut Valerius Maximus inquit, decus & stabilimentum Romani Imperii fuit, præcipuum. Plerumque enim diris penis milites pro minoribus sunt excessibus rigore militaris disciplinæ per exercituum duces excruciat. Insuper, etsi denique post hæc superiora multa fierent tumultuaria prælia, in quibus utrinque multi cecidere; in his tamen semper civitates evaserunt superiores. Veruntamen (ut est in ore plurimorum) si equestris civitatum exercitus fidum se civitatibus exhibuisset, cum plerumque fortunam in manibus haberent, Ducales maximam in ruinam sæpius perduxissent. Quam ob rem id verum mecum semper reputo:

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur,

Venalesque manus. Ibi fas, ubi maxima merces.

Nunquam præterea hoc durante bello tantâ vi tantoque conatu inter partes ipsas hostiles, quemadmodum in præmemorato apud *Bleckenstedium* prælio depugnatum est. Neque Dux Henricus Senior unquam post hanc jam dictam pugnam, rebus adhuc sic currentibus, in aliquo visus est militari equitatu. Sunt qui dicunt, ipsum post ignominiam in præ-narrato receptam prælio semper belli hujus negotium posthac per vicarios transegisse capitaneos. Paululum hinc rebus ex se mitescens, Brunsviciæ mulieres & puellæ globatim sæpius, currente quadragesima, pro victualibus ac aliis sibi opportunis rebus, quantum corporibus suis gestare poterant, suæ civitati inferendis: in civitatem Hildensemensem pervenere. Quamobrem etiam denuò, ne nimium Brunsvicii egestate premerentur & penuria, è civitate Hildensemensi iterum comæatus Brunsvicio, per exercitum duntaxat mercenarium, infertur. Hoc unum præter cætera adhuc adjiciendum reor. Etsi utriusque civitatis milites, tam equites quam pedites mercenarii Brunsvicii, tanquam principalioribus hoc in bello capitibus, militarent, ac bifariam quamvis divisi fuerint, ita ut quidam Brunsviciorum, reliqui verò Hildensemensium ministri dicerentur: nihilominus tamen utriusque potius Hildensemensibus quam Brunsviciis obsequerentur & complacerebant. Hildensemenses, inquam, cives (ut fama est) majori milites ipsos & humanitate ac familiaritate omnibus in rebus præ Brunsviciis prosequerentur. Etiam quoque maximis in opportunitatibus, ut dum in pugnis & præliis manus cum hostibus conferri necesse fuit, Brunsviciis propriis in personis se subtrahentibus, (nam per vicarios suos ministros pericula sibi sua præcavebant) Hildensemenses cives proprias personas militum corporibus apponebant, & unâ cum ipsis pari periculo & fortuito belli eventu se submiserunt: quandoque etiam maximis inopportunitatibus ac periculis milites exemerunt salvosque reddidere. Quamobrem etiam mercenarii ambarum pedites civitatum, quamquam quidam inter ipsos feditiosi essent, qui ob hoc postea relegabantur, majori fide & promptitudine quam equites civitatibus obsecuti sunt. Postremò igitur Reverendissimus & Reverendus in Christo Patres & Domini, Dominus Erne-

flus, Ecclesiarum Magdeburgensium Archiepiscopus, Germaniae Primas, ac Halberstadenſis Administrator; Illuſtris Princeps, Dux Saxoniae, &c. ac Dominus Bertoldus, Ecclesiarum Hildensemium Episcopus & Verdenſis Administrator, posteaquam bellantes utrinque multa damna & incommoda sibi mutuò intulissent, bellum hoc praememoratum intercipere conantur.

Nam Brunsvicia civitas jus suum cognoscendi plenè in hos praememoratos constituit, Principes & Dominos. Dux autem Henricus Senior Reverendum Patrem & Dominum Hildensemensem tanquam suspectum rejiciens & refutans, ne etiam se subtrahere juri videretur, in Illustrem Principem & Dominum, Dominum Johannem, Marchionem Brandenburgensem, Principem Electorem compromittit. Quapropter treuga concessa, percussa & firmata sunt à tertia Maji, quae fuit festum Inventionis vivificae crucis usque ad secundam Julii proximi sequentis, quae festum Visitationis Divae Virginis Mariae solitum est celebrari: ista nihilominus adhibita cautione, ut strata recipiatur publica, & alter alterum neque in personis neque in rebus gravet, damnet aut moleſtet. Oppidum Czerbst Comitum de Anbaldio pro loco ad placitandum deputatum. Eo quidem in loco, trinis in placitis suis vicissim terminis observatis, nihil actum nihilque conclusum est, nisi quod partes sibi mutuò minas posuerant: atque demum ad posterius placitandum locus in Brunsvicio fuit institutus. Sic enim fieri solitum est, ut prior semper data (hoc quidem nomine placita appellant) alteram aut sequentem in utero secum comportet.

Hinc adveniente Dominica Ascensionis solennitate currentis hujus anni nonagesimi quarti supra millesimum & quadringentesimum, post longos ac diuturnos in civitate Brunsvicia tractatus, Altissimus spiritum pacis & concordiae, sine quo nulla est jucunda animi possessio, contra spem plurimorum, qui faucibus bellum hiantibus appetebant, partibus ante hac dissidentibus, abundantia sua misericordia à summo caelorum culmine immisit. Sunt, qui dicant, Brunsvicios cives per aliquot annorum decursus Principibus ipsis quandam aureorum summam; sibi tamen portabilem nec nimis arduam, ac vicissim in vim (*) propinae super omnium per ipsos Principes interceptorum restitutione, ut castellorum & aliorum bonorum, praestituros. Laudes igitur creatori nostro immensa, qui tandem non finens nos diutius his torqueri bellorum discriminibus, dedit malis his quoque finem. Cum autem per sepe mecum animo pervolvam, quid omnibus ex rebus commodissime communi omnium saluti evenire possit, quidve calamitosissimum homini accidere soleat: illa videtur mihi laetissima gratia divinitus à DEO hominibus concessa, ut placidissimam pacem perfruantur: & infelicissimum infortunium invenire, cum eis contingat, ut aut bellum aliis inferre, aut ipsum bellum ab aliis sustinere oporteat. Si enim attentè consideraverimus, reperiemus, ex pacis stabilitate has redundare bonorum opportunitates, ut: animi tranquillitatem, divitiarum augmentum, facultatum conservationem, scientiarum, artium & ingeniorum professionem, agrorum & negotiorum exercitationem & alia hujuscemodi commodissima: quae cum jucundam atque felicem profectò vitam efficiant, ab omnibus quidem summopere videntur expectanda. At ex bellorum insidiis haec quidem malorum incommoditates sequuntur. Jacent enim bonarum artium disciplinae, jacent ingeniorum artificia, inventiones atque magisteria. Jacent agrorum cultus, dormiunt mercaturae, consumuntur emolumenta jam longo parte tempore, consurgunt penuriae innumerabiles, tandem undique calamitates oriuntur. Atque etiam, ut ad hominum diminutionem & perniciem accedam, quot homines non modo praeſcis temporibus, sed etiam hanc nostram aetate, ex discordiis & odiis vitam amittere coacti fuerunt. Pereunt equidem amplissima familiae, pereunt maximae dominationes, pereunt excelsi Reges, pereunt denique summi Principes & Duces discordias concitantes. Qui enim praeteritorum historias bellorum revolverint, aut etiam ab aliis audierint, clarissime satis intelligent, quot hominum millia ex dissensionibus interierint aut prostrati fuerint. Quot etiam imperia, regna, Principatus civitates, quanta quoque amplissima atque munitissima oppida ex dissensionibus & bellorum injuriis consternata atque solo aequata jacent? Si enim bellorum non fuissent dissensiones, Nonne

Trojæ nobilitas: Trojæ decor: inclyta Trojæ
Fama vireret adhuc, nec laudis flore careret.

Quid conabor caetera penè innumerabilia oppida, quae ex discordia funditus eversa sunt, dirupta, obtrita atque ad nihilum deducta recensere? Tritum enim illud jam proverbium, omnes nos jure quidem monere deberet: qui aliorum infelicibus casibus non moventur, in illud discrimen incidunt, ut ab ipsis caeteri perdiscant, quae ipsi ratione malorum detrimenta devitent. Cum igitur haec ita sint, ut ex bellorum calamitatibus copiarum facultates dissipentur, homines minuantur, imperia, Principatus, domus, oppida, civitates prosterantur, omnia virtutum genera comprimantur, atque hujuscemodi discordiae omnipotentem DEO nostro vehementissime displiceant, qui belligerantem Luciferum è caelo deturbavit,

ac

(*) Propina jus pactus, procuratio. Nicolaus Clemensis: talis oblatio & gratia datio juxta vulgare Italicum dicta fuit servitium & secundum Alemannos Propina dicitur.

ac deinde homo factus, pacem semper hominibus nuncians, ipsam optimè conservabat: omnes sapientes Principes, civitates atque nationes eas semper dissensiones & bella rigidissime studeant devitare.

Habes tandem, *mi Lodvice*, à me homine parum frugi munus, mea profecto sententia non minus incultum quam insipidum; tuæ cupidini absolutum, & utinam tibi gratum. In quo tametsi parum quoad ea, quæ animum tuum illustrare poterunt, proficies: testimonium tamen tanquam mei erga te amoris & vadem velim suscipias. Jam iterum vale, ac me, ut semper consuevisti, in Christo diligas.



XIV.
EXCERPTA
EX
MONASTERII S. MICHAELIS HILDEN-
SEMENSIS NECROLOGIO,
Ex MSto.



- Al. Januarii.* Detmarus Abbas. Dns. Hermannus Abbas in Ellenborch.
4. Non. Jan. Venerabilis Pater Dn. Theodorus Abbas in Bursfeldia tertius in reformatione.
3. Non. Jan. Venerabilis Pater, Dominus Joannes Abbas in Selgenstat.
2. Non. Jan. Illustris Domina *Cacilia de Brunswigh & Luneborgh*, quæ contulit monasterio nostro duas casulas preciosas cum suis correquisitis.
Nonis Jan. Dn. Hinricus Abbas in Ringelegg.
8. Id. Jan. Venerabilis Pater Dominus Joannes Abbas in Reynhufen. Wilhelmus Abbas ad S. Panthaleonem in Colonia.
7. Id. Jan. Anniversarius omnium litorum monasterii S. Michaelis in Hildenshem, ex institutione Domini Bernhardi.
6. Id. Jan. Illustris Domina *Mechtildis soror incliti Ducis, Ducis Ottonis de Luneborgh, & uxor nobilis viri de Slavia nomine Hinrici*, quæ multa beneficia contulit Ecclesie nostræ, pro qua dantur X. solidi annuatim de uno manso litorico in Huddense & X. solidi pauperibus de duobus mansis in Honeghessem. Rodgerus Abbas in Bruwilre.
5. Id. Jan. Aggo Abbas in Stanria. Dn. Guntherus Abbas in Erfordia.
4. Id. Jan. Thomas Abbas in Seligenstad. Georgius Abbas in Pegauia.
19. Kal. Febr. Venerabilis Pater Christianus Abbas ad S. Petrum in Erfordia.
18. Kal. Febr. Georgius Abbas in Hirsauia.
17. Kal. Febr. Godeschalvus n. cong. Abbas, sepultus ante altare S. Crucis. Hermannus Hake nostræ congregationis Abbas sepultus ante altare S. Cæcilie. Dn. Gerhardus Abbas in Alpersbach.
XVI. Kal. Febr. Johannes Abbas in veteri Ultzen.
XV. Kal. Febr. Dn. Hinricus Abbas in Regali Luther.
XIV. Kal. Febr. Venerabilis Pater Dominus Georgius Abbas ad S. Stephanum in Herbipoli.
XIII. Kal. Febr. Johannes Præpositus Canonorum S. Mariæ, pro quo dantur X. solidi annuatim, quos dabunt Canonici Majoris Ecclesie, de decima in Lafforde agatur memoria.
XI. Kal. Februar. Venerabilis Pater Dominus Hermannus Abbas in Berga.
X. Kal. Febr. Theodericus Brinckmann nostræ congregationis Abbas. In Alpersbach Dominus Alexius Abbas ibidem.
IX. Kal. Febr. Johannes Abbas in Hildesleve. Venerabilis Pater & Abbas in Ringelegg.
VIII. Kal. Febr. Johannes Abbas in Marienmonster.
VII. Kal. Febr. Memoria M. Nicolai de Huxaria ac parentum suorum & omnium benefactorum suorum, pro quo dantur ferto, annuatim agatur memoria. Hildewardus Episcopus. Dns. Hinricus Abbas S. Mariæ ad Martyres in Treberi.
VI. Kal. Febr. Uncwanus Archiepiscopus.
III. Kal. Februarii. Eillardus Abbas S. Godehardi.
II. Kal. Febr. Conradus Abbas in Werdena. Hinricus Abbas in Cella Mariæ.
Kalend. Februarii. Hinricus Perperak nostræ congregationis Abbas, sepultus ante altare S. Godehardi MCCCC. Ludolphus & Siffridus Abbates. Venerabilis Pater Dominus Bartoldus Abbas in Vraw. Dom. Nicolaus Schomaker Doctor Decretorum, Præpositus.